

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**D. Laurentii Heisteri Profess. Pvbl. Helmstadiensis
Academ. Caesar. Regiae Lodin. Ac Berolin. Collegae
Compendivm Anatomicvm Totam Rem Anatomicam
Brevissime Complectens**

Heister, Lorenz

[Norimbergae, [MDCCXXXII.]

VD18 90513150

[Explicatio Tabvlae Qvintae.]

urn:nbn:de:gbv:45:1-9958

H. Pars penis posterior resecta.

Fig. 23. Repræsentat eiusdem penis faciem inferiorem: in qua, quomodo venæ, mercurio repletæ, tam mirabili reptatu atque tam multis amplexibus, coniunctionibus sive anastomosibus, per hanc, & in primis etiam super urethram discurrant, apparet; quarum multæ longe subtilliores sunt & copiosiores in ipso obiecto, quod iam ultra quinquennium asservo, præsertim circa frenulum & coronam, quam a pictore & sculptore, sine confusione producenda, exhiberi potuerunt.

A Frenulum penis, copiosissimis minutissimisque vasculis pilum tenuitate superantibus instrutum.

B Corona & cervix penis, vasculis omnium subtilissimis abundantes.

C Glandis tota pars inferior, sicuti superior, ubique vasculis valde exiguis, mirabiliter tortuosis, repletissima.

D Vrethra protuberans: cuius corpus cavernosum, mercurio plenum, eam ita extendit, cum vasis plurimis eam ambientibus.

E Corpora duo penis cavernosa, urethram in medio continentia, argento vivo quoque repleta: quæ una cum urethra vasorum maiorum, multas flexiones, ambages, amplexus & anastomoses facientium, magna copia cinguntur, omnia mercurio impleta.

F Finis urethræ.

G Funiculus, quo penis ligatus.

H Pars penis posterior resecta,

Hoc

Hoc pulcherrimæ repletionis experimentum aliquoties in aliis penibus iterare volui: sed in nullo tam bene succedere voluit, quam in hoc: quia mercurius per venam dorsi immissus, per iter urinæ mox rursus effuebat. Unde vero communicatio huius itineris cum venis penis cognosci & præter alia, contagii venerei modus inde intelligi potest.

EXPLICATIO TABVLAE SEXTAE.

Fig. 24. Repræsentat *testiculum humanum*, cuius vasa seminalia more *Ruy schiano* a me resoluta sunt.

A Tunicam testiculi albugineam denotat a vasculis seminalibus separatam & reflexam.

B *B* Vascula testiculi seminalia resoluta, quæ genitaram conficiunt, atque instar capillamentorum fere dependent: ex quibus interiorem testis substantiam totam constare, hic videri potest.

Fig. 25. peculiarem *testiculi cuiusdam humani compositionem*, sicut a me Helmstadii, in cadavere publice inciso, olim reperta est.

A Arteria aorta descendens.

B vena cava inferior.

C *C* venæ emulgentes.

D ortus arteriarum spermaticarum ex trunco aortæ.

e Vena spermatica dextra, e trunco venæ cavæ.

f Vena spermatica sinistra, ex emulgente sinistra.

g Vena & arteria spermatica dextra sibi invicem implicatae consueto modo ad testiculum abeuntes

h testiculus dexter, &

i i epididymis e scroto exemta.

k l vas

